

tum convinci videtur; una est, quia illa est gratia efficax, per quam Deus facit ut velimus, et ut faciamus, ut late docet idem Augustinus, lib. de Grat. et lib. arbitr., cap. 14, 16 et 17. Sed gratia per quam Deus facit ut faciamus est vocatio; ergo talis vocatio est gratia efficax, ac subinde excitans. Minor sumitur ex eodem Augustino, eodem libro de Grat. et lib. arbitr., cap. 16, dicente: *Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbens vires efficacissimas voluntati*, ubi expendenda est particula, *vires*; significat enim non actionem, sed virtutem agendi, et hanc dicit esse efficacissimam, et per gratiam prævenientem et excitantem dari, ut statim explicat istis verbis: *Certum est nos servare mandata cum volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino*; et iterum: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas a Domino; de quo dictum est: A Domino gressus ejus diriguntur, et viam ejus volet; de quo dictum est: Deus autem est, qui operatur in vobis et velle*. Docet autem idem Augustinus, lib. 83 Quæstionum, quæst. 68, ut jam retuli, vocationem esse per quam Deus hæc omnia facit, dicens: *Quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus et vocatus, etc., efficitur ut et ipsum velle Deus operetur in nobis*. Idem tradit idem Augustinus, tract. 26 in Joann., et serm. 2 de Verb. Apost.; et de Prædest. Sanct., cap. 19: *Illa vocatione (ait) quæ sine penitentia est, id prorsus agitur et peragitur, ut credamus*.

11. Similis ratio est, quia gratia efficax est quam Deus confert prædestinatis ut salventur; sed medium potissimum, quo salvantur prædestinati, est quædam vocatio, quam Augustinus vocat ex proposito; ergo illa est gratia efficax. Consequentia est clara. Major est Augustini, lib. de dono persever., cap. 14, ubi definit prædestinationem Sanctorum, dicens: *Nihil aliud est quam præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*, ubi notanda est particula *certissime*, nam per illam significare voluit Augustinus efficaciam mediorum, ut est notum in ejus doctrina. Minor vero colligitur ex eodem capite; sic enim statim subinfert: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant, quæ verba propter gratiam excitantem et congruentem manifeste sunt dicta*. Item ex lib. de Corrept. et grat., cap. 7, 9 et sequentibus, ubi

late declarat Deum dare prædestinatis perseverantiam per vocationem secundum propositum suum, quam qui accipiunt, infallibiliter perseverant, ac proinde efficaciter juvantur.

12. *Alia ratio*. — Alia denique ratio esse potest, quia Deus dat efficacem gratiam præparando voluntatem, ut sæpe in citatis locis Augustinus affirmat, et in Enchirid., cap. 32; de dono persever., cap. 8; 1 Retract., cap. 22, et lib. 2, cap. 4. Sed Deus præparat voluntatem per gratiam prævenientem, quæ sit vocatio congrua, ut eisdem locis Sanctus docet, præsertim dicta quæst. 2 ad Simplician. Ergo illa eadem vocatio est gratia efficax excitans. Consequentia est clara in eadem sententia Augustini. Tandem possumus hoc concludere ex principiis supra positis, quia gratia efficax prævia, seu quæ facit ut velimus, non est auxilium concomitans, seu concursus, aut influxus simultaneus; ergo esse debet gratia excitans. Antecedens probatur, tum quia per influxum simultaneum non facit Deus ut velimus, sed ipsum velle facit nobiscum, per auxilium autem efficax facit ut velimus; tum quia proprium auxilium efficax, de quo tractamus, fit a Deo solo in nobis, sine nobis, utique libere cooperantibus, auxilium autem concomitans non fit in nobis sine libera cooperatione nostra; tum denique quia auxilium efficax prævium datur ut præparet voluntatem, concomitans vero ut adjuvet præparatam; ergo propria gratia efficax non est ipse simultaneus concursus, seu influxus. Consequentia vero prima probatur, quia, inter actuales gratias, nulla est quam Deus in nobis sine nobis efficiat, nisi gratia excitans, ut in lib. 3 probatum est, et in sequentibus probandum est latius; hoc enim solum fere superest in hoc libro examinandum.

13. *Fundamento prioris sententiæ occurritur*. — Respondetur primo. — Secundo. — Tertio. — Ad fundamentum autem prioris sententiæ, negamus minorem; nam dari potest aliqua vocatio, seu gratia excitans, ex qua infallibiliter sequatur liber consensus; et ad primam probationem ex Concilio Tridentino negatur consequentia: stat enim voluntatem posse resistere, et infallibiliter non resistere: quomodo autem hæc duo jungantur, in sequentibus inquirendum est, nam hoc opus et hic labor est. Ad secundam probationem negatur consequentia, nam vocatio aut excitatio non dicitur efficax, quia sola sine auxilio adjuvante faciat consensum: hoc enim in illa sententia necessarium aut verum est, quia

utrumque auxilium, utique excitans et adjuvans, simul necessarium est, ut actus supernaturalis fiat; unde in superiori libro etiam de auxilio undique sufficiente diximus debere utrumque auxilium aliquo modo includere; ergo multo magis efficax. Non ergo dicitur efficax auxilium excitans, quia solum faciat, sed quia in suo ordine tale est, ut infallibiliter consequatur effectum, ac subinde ut infallibiliter habeat conjunctum, vel secum afferat necessarium auxilium adjuvans. Unde autem hoc habere possit aliquod auxilium excitans, postea videbimus, ut jam dixi. Ad tertium denique negatur consequentia, quia efficacia auxilii non consistit in prædeterminatione, ut dicemus.

CAPUT VI.

AN EFFICAX AUXILIUM CONSISTAT IN MOTIONE, VEL EFFECTIONE DE SE ET NATURA SUA PRÆDETERMINANTE PHYSICE VOLUNTATEM HUMANAM AD UNUM ACTUM ET EXERCITIUM EJUS.

1. *Determinare quid*. — Diximus auxilium efficax consistere in quadam efficaci vocatione: aggredimur jam exponere in quo consistat ejus efficacia, vel quomodo fiat, quidve addat communi vocationi. In quo puncto duæ sunt opiniones celebres, una de physica prædeterminatione, altera de congrua vocatione, de quibus suo ordine dicendum est: ut autem circa priorem clare procedamus, necessarium est accurate prius explicare terminos, ut sine confusione vel æquivocatione omnia puncta, quæ in hac sententia occurrunt, tractare possimus. Et imprimis verbum *determinandi*, a quo verbum *prædeterminandi* compositum est, declarandum est; deinde quid addat illa particula *præ*, et consequenter quid nomine prædeterminationis significetur, vel quotuplex illa esse possit, aperiemus. *Determinare* igitur, juxta primam vocis significationem, idem est quod terminum rei designare, aut constituere, sive id exterius fiat, ut in agris et regionibus fieri solet, sive per sententiam, vel decretum, sicut dicitur iudex determinare causam, vel superior determinare quid sit agendum. suo utique præcepto. Hinc ergo, quia voluntas de se indifferens est ad ea ad quæ est libera, determinari dicitur, cum ad alteram partem inclinatur, vel definitur, et quando id fit cum aliqua antecessione, dicitur prædeterminatio. Utrumque autem multis modis fieri potest, quos distinguere oportet, ut, omissis quæ ad

præsentem causam non faciunt, clarius procedamus.

2. *Actus voluntatis humanus quot modis nominetur prædeterminatus a voluntate divina*. — *Conclusio prima*. — *Secunda*. — Duobus igitur modis potest actus voluntatis humanus denominari prædeterminatus a divina voluntate, scilicet objective tantum, et per quamdam extrinsecam denominationem, vel effective, influendo aliquid quod sit intrinsece in voluntate humana, et determinet illam. Sic inter homines pater dicitur apud se determinare, quem statum filius accipere debeat, et e converso status ille dici potest prædeterminatus in voluntate patris. Item, dicitur voluntas subditi determinari a voluntate superioris, qua illi præscribit quid agere debeat. Voluntas enim superioris nihil ponit in voluntate subditi, nec modum operandi ejus immutat, sed solum præscribit, et definit materiam circa quam versari debet, et ita dicitur determinare illam, extrinsece imponendo illi obligationem, vel objectum ejus moraliter mutando. His ergo modis dici potest voluntas Dei determinare voluntatem hominis. Primo quidem per voluntatem, quam vocant signi, seu præceptivam, quæ determinatio non est quoad exercitium, nec ponit aliquid in ipsa virtute agendi voluntatis creatæ, nec inducit necessitatem oppositam libertati simpliciter, sed oppositam libertati a præcepto: unde hic modus prædeterminationis nihil ad præsens refert. Secundo, potest etiam dici Deus determinare actum voluntatis humanæ objective et per denominationem extrinsecam, solum quia, æterno decreto absoluto suæ voluntatis, secum statuit ut voluntas humana in tempore talem actum liberum suæ voluntatis habeat. Nam tale decretum Dei, cum sit liber, est quædam determinatio voluntatis ejus, quia Deus in hoc liber ostenditur, quod se ipsum determinare potest, ut dixit D. Thomas 1 p., quæst. 19, art. 3, et in 2, d. 25, quæst. 1, art. 1, ad 3; per illud ergo decretum determinat Deus voluntatem suam ad volendum, ut homo in tempore velit, et ideo actus ille voluntatis humanæ denominari potest determinatus, vel ex æternitate prædeterminatus a voluntate divina. Hæc autem prædeterminatio in Deo existens, per se ac præcise spectata, non immutat voluntatem humanam, nec limitat, aut coarctat intrinsece ejus indifferenciam, sed solum extrinsece et objective denominat illum actum hominis determinatum, sicut actus immanens in potentia denominare solet extrin-

sece objectum suum, sicut volitio denominat volitum objectum suum, ut visio visum, ut auditio auditum, etc.

3. Quamvis autem magna quæstio esse possit an Deus isto modo prædeterminet sua æterna providentia actus liberos futuros in tempore a voluntate humana, nunc vero non illam quæstionem tractamus, quia illa prædeterminationis non est aliud quam prædestinatio quædam talis actus humani, vel hominis ad agendum in tempore talem actum, loquendo nimirum de prædestinatione, ut ad voluntatem Dei pertinet, et in æterno illius proposito consistit; nunc autem de prædestinatione non agimus, sed de gratia: esto igitur habeat Deus illud propositum, quo prædestinet talem actum, per illud prædeterminat illum objective denominative, ut dixi, non subjective, vel effective; quia sicut prædestinatio per se et formaliter nihil ponit in prædestinato, sed executio prædestinationis est passive in prædestinato, ut dixit D. Thomas, 1 p., quæst. 23, art. 2, ita dicendum est de prædeterminatione Dei in hac significatione sumpta; nam dicit in Deo eundem omnino actum, si respectu ejusdem objecti sumatur. Et sicut prædestinatio differt a gratia, prout est donum nobis datum, tanquam æternum a temporali, seu tanquam causa ab effectu, ita differt hæc prædeterminationis a gratia efficaci, de qua tractamus; ideoque, sicut in prædestinati non agimus de prædestinatione, ita nec de prædeterminatione, in hac significatione sumpta.

4. *Tos præ, notio.* — Eademque ratio est de divina præfinitione: illa in usu Scripturæ et Patrum cum prædestinatione coincidit. Nam definire in hac materia, idem est quod mentis consilio ac proposito voluntatis aliquid proponere, vel statuere, ut 1 Reg. 20 dicitur: *Intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David;* et 1 Machab. 4: *Multi de populo Israel definiunt apud se, ut non manducarent immunda.* Et in eodem sensu tribuitur Deo, Actor. 27: *Definiens statuta tempora, etc.,* et cap. 2: *Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum,* et Luc. 22: *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit.* Quia vero Dei propositum æternum est, ideo Deus non solum definire, sed etiam prædefinire dici potest quidquid suo æterno decreto fieri statuit; quod decretum præfinitio vocatur, Ephes. 3, ibi: *Secundum præfinitionem sæculorum:* ubi Græce habetur nomen *πρόθεσις*, quod *propositum* significat: unde ibi particula *præ* solum significare videtur an-

tecessionem propositi interni ad executionem externam, quæ in hominibus temporanea est, et ideo recte dicitur in Deo semper indicare antecessionem æternitatis.

5. Quamvis alia etiam ratione possit illa particula *præ* addi verbo definiendi, ut significet non solum antecessionem æternitatis decreti ad executionem ejus, quæ in tempore fit, sed etiam ut in ipsa æternitate significet antecessionem rationis propositi voluntatis ad præscientiam futurorum, quam volunt aliqui esse propriam significationem verbi præfinitionis, ut Deo attribuitur in Scriptura; nihil in hoc colligi potest, quia in ea non invenitur verbum hoc compositum, *præfinitio*, sed tantum simplex, *definitio*, ut ex allegatis locis manifestum est, et in nullis aliis invenitur. Neque etiam aliunde potest illa verbi impositio aut proprietates ostendi; unde, licet non negem posse particulam *præ* in illa significatione summi, nihilominus id non exigit verbi proprietates, vel significatio, sed juxta materiæ capacitatem loquendum erit, quod etiam de verbo prædestinandi intelligendum est, nam hæc duo verba idem significant. Imo in Scriptura, ubi in Vulgata latina hæc verba variantur, in Græco idem verbum respondet, quod est *ὀρίω*, vel *προορίζω*; ubi est verbum *προορίζω*, semper ponitur in Vulgata verbum *prædestino*, ut Roman. 8: *Quos præscivit, et prædestinavit;* et iterum: *Quos prædestinavit, hos et vocavit;* et ad Ephes. 1: *Qui prædestinavit nos;* et iterum: *Prædestinati secundum propositum ejus;* et 1 Corinth. 2: *Quam prædestinavit Deus ante sæcula.* Ex quibus ultimis verbis intelligimus particulam *præ*, ex intentione Pauli, significare antecessionem æternitatis, et in his omnibus respondet græce verbum *προορίζω*. At vero ubi invenitur in novo Testamento græcum verbum *ὀρίω*, in Vulgata ponitur verbum *definitio*, sine præpositione, ut patet ex locis Lucæ et Actorum, supra citatis. Solum ad Roman. 1, ubi græce habetur simplex participium *ὀρισθέντος*, noster interpret vertit *prædestinatus*, nam quia illa destinatio seu definitio æterna est, non dubitavit interpret illam vocare prædestinationem. Unde etiam intelligitur illam particulam *præ*, in rigore, solum significare antecessionem æternitatis divini propositi ad executionem ejus, tam in verbo *prædestinandi*, quam in verbo *prædeterminandi*, in illa prima acceptione sumpti, nam hæc in rigore, ut dixi, idem sunt.

6. Possuntque hæc confirmari ex verbis Dionysii, cap. 5 de Divinis nominibus, in fine,

quem locum obiter etiam hic declarabimus, est enim celebris in hac materia, et aliqui non recte illo utuntur. Agens ergo Dionysius de divinis exemplaribus seu ideis, inquit, juxta translationem Ambrosii Florentini: *Exemplaria vero esse dicimus, rationes in Deo substantificas rerum, et singulariter ante subsistentes, quas prædestinationes Theologia vocat bonas divinasque voluntates, eorum quæ sunt definitrices atque effectrices, secundum quas ipse supersubstantialis Deus, quæ sunt omnia prædestinavit atque produxit.* Ubi imprimis, quod ad verba attinet, adverto, ubi prius exemplaria vocantur *prædestinationes*, secundum aliam translationem, quam D. Thomas commentatur, vocari *prædefinitiones*. Unde idem D. Thomas, in commentario, sub distinctione dicit: *Quas sacra Scriptura vocat prædefinitiones, seu prædestinationes*, pro certo habens illa verba esse synonyma. Et ubi postea ipsæ ideæ dicuntur *definitrices et effectrices*, illa versione apud D. Thomam dicuntur *prædeterminativæ*: alia autem versio habet *discretivæ et effectivæ*; et in ultimo loco, habetur apud eundem D. Thomam verbum *prædefinit*, pro verbo *prædestinavit*. D. Thomas autem, loco utriusque, posuit *prædeterminavit*, sentiens hoc verbum, Deo attributum, etiam significare internum mentis propositum, et in ea significatione idem esse quod prædestinare vel definire.

7. Deinde adverto vocare Dionysium ipsa exemplaria seu ideas, *prædestinationes*, seu *prædefinitiones*, additque etiam vocari *divinas voluntates*, quia, ut ibi notat D. Thomas, rationes rerum possibilium in mente Dei, secundum se spectatæ, antequam Deus velit ad illarum imitationem aliquid ad extra producere, non habent rationem exemplarium, et ita per voluntatis præfinitionem quasi complentur in ratione exemplarium, et ideo et præfinitiones, et prædestinationes, et voluntates Dei esse dicuntur. Unde advertit ibi Carthusianus non loqui ibi Dionysium de prædestinatione, in eo rigore quo electis tribuitur prædestinatio, sed latiori modo, prout dici potest de qualibet præordinatione divina, sive sit de præmio, sive de poena, et sive sit ante vel post præscientiam alicujus rei futuræ, et sive sit præfinitio absoluta rei in se, sive sufficiens tantum, et in causis suis. Nam quælibet istarum ad rationem idearum seu exemplarium constituendam sufficit. Denique, addi potest exemplum simile de verbo *præparandi*, ex D. Thoma, 1 p., q. 23, art. 2, ad 3, ubi ait verbum illud dupliciter posse tribui Deo, pri-

mo, pro præparatione æterna ex parte ipsius Dei, quæ est decretum æternum, quo se ab æterno præparavit ad salvandum electum, vel aliquid simile agendum. Et sic ait dici posse bonam voluntatem humanam esse ab æterno præparatam in mente Dei, quæ præparatio in voluntate creata non est nisi denominatio extrinseca ab æterno actu Dei. Secundo, vero modo dicitur Deus præparare voluntatem humanam in tempore efficiendo aliquid in illam, quo illam disponat, et intrinsece præparatam reddat. Idem ergo est, servata proportionem, de verbo *prædeterminandi*.

8. In præsentem ergo per se ac directe non agimus de hac prædeterminatione Dei extrinseca, quia non agimus de prædestinatione cum qua illa coincidit, sed agimus de gratia efficaci, quæ a prædestinatione differt, tanquam effectus a prima et originali causa, et tanquam temporale quid ab æterno, ut Augustinus docuit lib. de Prædest. sanct., c. 10, et lib. de Don. Persever., c. 14. Dico autem præsentem tractationem non esse per se et directe de hac prædeterminatione, quia si una sit cum altera connexa, indirecte posset ad illam extendi disputatio; et ideo qui ponunt gratiam efficacem in prædeterminatione intrinseca nostræ voluntatis, magnam vim in hoc faciunt, quod omnes actus nostri liberi arbitrii sint prædestinati, præfiniti, seu prædefiniti, et in dicto sensu prædeterminati in proposito ac decreto absoluto divinæ voluntatis, non solum prius secundum æternitatem, sed etiam secundum antecessionem rationis divini decreti ad præscientiam futurorum, quia putant ex tali prædeterminatione extrinseca sequi intrinsecam in nostra voluntate per gratiam, vel motionem efficacem, quia nullo alio modo potest illud decretum prædeterminationis Dei infallibiliter impleri; alii vero, in contrario extremo, ut prorsus caveant a tali modo gratiæ efficaci, quem putant esse contrarium libertati, negant etiam illum modum prædeterminationis, seu prædestinationis omnium actuum liberorum in seipsis, antecessionem præscientiam futurorum, sed aiunt ante præscientiam absolutam futurorum, solum prædefiniri et præordinari in causis efficacibus, vel sufficientibus, sicut modo circa verba Dionysii dicebamus; post præscientiam vero absolutam, voluntatem ordinari ad suos fines, et sic etiam præfiniri in prioritate æternitatis, non in antecessione ad præscientiam absolutam. Nos autem, ut ab hac controversia abstinemus, supponimus posse Deum in priori

sensu prædeterminare seu prædestinare actus liberos humanæ voluntatis, ita absolute ut omnino fiant et libere fiant; credimus, licet in malis actibus id facere non possit Deus propter bonitatem suam, in bonis posse; et de facto admittimus id fecisse in Sanctis, actibus liberis a gratia efficaci procedentibus; et non obstante hac prædeterminatione extrinseca, de intrinseca inquirimus, an sit necessaria, vel possibilis ad executionem talis prædeterminationis, et consequenter an hoc sit gratiæ efficacis munus.

9. *Potentia de se indifferens, quomodo determinari possit.* — Ut ergo de intrinseca prædeterminatione dicamus, ulterius advertimus potentiam de se indifferentem duobus modis posse determinari, scilicet in actu primo et in actu secundo. Priori modo est determinata, quando, prius natura quam actu operetur, est limitata et definita ad unum effectum; posteriori modo est determinata quando actu operatur. Rursus prior determinatio in actu primo multiplex est, nam quædam esse potest quoad specificationem tantum, alia quoad exercitium, vel quod perinde est, una esse potest solum quasi conditionata, si voluntas operari velit, alia est absoluta, quia per illa voluntas determinatur, ut velit. Priori modo est voluntas de se determinata ad amandam beatitudinem in communi, nam licet actu de illa cogitetur, non est voluntas omnino determinata ad exercendum actum amoris circa illam; nihilominus tamen ita est definita, ut, si velit aliquem actum circa illam exercere, ille esse debeat amor, seu persecutio, non odium aut fuga; alio modo, ex parte simili, licet inferiori, determinatur voluntas per habitum charitatis ad sancte operandum, non quidem quoad exercitium actus, ut per se manifestum est, nec cum tanta limitatione seu determinatione, ut, si voluntas, habens talem habitum, operari velit, ad sanctam operationem determinetur, quia non est unde habitus ille tantam præbeat determinationem, alias esset inammissibilis, quod esse falsum in lib. 9 videbimus; nihilominus tamen aliquo modo et sub alia conditione determinat, quia, si voluntas illo habitu uti velit, non potest nisi sancte per illum operari: quomodo dixit Joan., canonic., c. 3: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*, utique si ut talis operari velit; hanc ergo et quamcumque similem vocamus determinationem quoad specificationem, vel conditionatam, et secundum

quid, vel sufficientiæ, non exercitii. Unde obiter constat non esse in præsentem sermonem de hac determinatione, quod est memoriæ mandandum, nam solent per hanc æquivocationem eludi argumenta, quia hoc modo etiam auxilium sufficiens determinat voluntatem ad unum quoad specificationem sub conditione; quia si homo tali auxilio cooperari velit, non nisi bene et in tali specie operabitur, et ita illa est determinatio sufficientiæ, licet non sit efficaciæ: est ergo in præsentem sermo de determinatione absoluta, et quoad exercitium, quæ tunc esse dicitur in voluntate, quando, ita affecta et proxime completa in actu primo, in illo non sistit, nec sistere potest in temporis duratione, quia non potest se continere, quin exerceat actum secundum. Quando ergo potentia prius natura est sic constituta in actu primo, dicitur etiam determinata in actu primo.

10. Ulterius autem hoc dupliciter contingere potest, uno modo ab intrinseco, scilicet ex innata conditione potentiæ activæ, alio modo ex forma, vel actu aliquo qui, licet intrinsece efficiat voluntatem, ab extrinseco provenit, nimirum per efficientiam alicujus extrinseci agentis, scilicet Dei. Prior modus neque in voluntate cadit, nec habere potest locum in præsentem puncto, saltem comparatione facta ad voluntatem ipsam secundum se spectatam. Probatur, quia supponimus voluntatem esse liberam; ergo illa, secundum se spectata, non habet innatam determinationem ad unum quoad exercitium, quia hoc repugnat libertati naturali, quæ indifferentiam requirit, etiam naturalem, ut jam ostensum est. Item gratia efficax non est conditio intrinsece connata, seu congenita voluntati; ergo non potest illi dare priorem modum determinationis ad unum, cum semper auxilium efficax sit aliquid superadditum voluntati ab extrinseco agente Deo; et ideo dixi hanc determinationem non esse innatam ipsi voluntati secundum se spectatæ, nam comparata ad illam entitatem, quæ est gratia efficax, si talis est illa entitas ut, posita in voluntate, determinet illam in actu primo ad exercitium actus proportionati illi auxilio, sic talis determinatio convenit tali entitati ab intrinseco, nam est conditio illi connaturalis et intrinseca, quia per nullum alium actum primum illi additur, alias esset processus in infinitum.

11. Imo non solum ipsa ex se erit determinata ad unum, sed etiam, ex intrinseca sua natura et conditione, habebit determinare volunta-

tem cui adhæret, ad coexercendum secum (ut sic dicam) eundem actum, quia non potest aliter illa entitas habere connaturalem annexionem et omnino intrinsecam cum suo actu secundo, quia non potest suum actum exercere sine cooperatione voluntatis, ut supponimus; ergo vel ipsa non est ab intrinseco simpliciter determinata ad exercitium suæ actionis, vel æque determinat voluntatem ad secum cooperandum. Illa ergo determinatio in actu primo, si datur, licet sit ab extrinseco respectu voluntatis, erit intrinseca tali auxilio efficaci, seu illi principio agendi completo ex voluntate et tali motione, quæ efficax auxilium dicitur. Et consequenter, licet talis determinatio fiat in voluntate effective a Deo, quia Deus est qui efficit in voluntate auxilium efficax, nihilominus ab ipso auxilio fit illa determinatio formaliter in voluntate, quia tale auxilium, adhærendo voluntati, determinat illam. Atque hic est unus et forte præcipuus sensus quæstionis propositæ; et hanc vocabimus semper determinationem in actu primo, de illa inquirendo an fiat in voluntate per auxilium efficax, modo jam explicato.

12. Alium modum determinationis vocavimus in actu secundo, quia per illum constituitur potentia in ultima determinatione. Nam de ratione hujus determinationis in actu secundo est, ut fiat per effectum ipsiusmet actus secundi, quia ante illam effectum semper est potentia in actu primo, sive prius tempore, sive prius natura consideretur, et ideo, ante actum secundum, seu effectum ejus, non potest esse potentia determinata in actu secundo, est enim aperta repugnantia. Ut autem illa effectio actus secundi habeat rationem determinationis, supponere debet in potentia indifferentiam aliquam quoad exercitium, quia verbum ipsum *determinandi*, connotat respectum ad rem, vel materiam, seu potentiam, quæ non supponitur determinata, sed indifferens; nam si omnino supponatur determinata, non indigebit determinatione. Et ideo ignis, quando calefacit, non dicitur determinari ad calefaciendum, sed agere id ad quod determinatus est; sol vero, quia de se est aliquo modo indifferens ad obdurandum, vel liquefaciendum, dicitur determinari a dispositione ceræ, verbi gratia, ad liquefaciendum, et intellectus dicitur determinari a voluntate ad credendum, quia antea erat aliquo modo indifferens, et eodem modo dicitur voluntas determinare se, quando vult credere.

13. In quo modo loquendi animadverto dif-

ferentiam inter potentiam indifferentem ex dominio voluntatis, vel indifferentem alio modo minus perfecto, scilicet ex sola universali virtute agendi, vel ex subordinatione ad superiorem potentiam. Nam potentia libera propriissime dicitur determinare se, quod adeo necessarium reputatur, ut dixerit D. Thomas, nec Deum nec hominem fore liberum, nisi haberet vim internam determinandi se, vel eminentem, quasi per seipsam formaliter, ut voluntas divina, vel active voluntarie agendo in seipsam, ut voluntas humana. At vero aliæ causæ alio modo indifferentes non dicuntur determinare se, sed determinari vel ab alia causa in quocumque alio genere, sicut determinatur virtus solis ex dispositione vel capacitate passi, vel a superiori potentia movente, et applicante, sicut intellectus determinatur a voluntate ad credendum. Hæc ergo determinatio in actu secundo etiam intervenit in actu qui fit per efficax auxilium, et ideo alius sensus præsentis quæstionis est, an efficax auxilium immediate efficiat vel conferat hanc ipsam determinationem in actu secundo, non prævio aliquo actu primo, in quo talis determinatio consistit, sed per immediatum influxum absolutæ voluntatis Dei in ipsum actum secundum, ita ut per illummet quasi formaliter determinetur voluntas humana a voluntate divina efficaci, influente effective talem determinationem.

14. *Prædeterminatio, de determinatione voluntatis humanæ.* — Atque ex his facile declarari potest cur hæc determinatio humanæ voluntatis *prædeterminatio* vocetur; non enim additur illa particula *præ*, propter antecessionem æternitatis ad tempus; nam hæc determinatio non est æterna, sed in tempore fit, ut declaravi; imo nec aliqua antecessio durationis temporalis, per illam particulam *præ*, indicatur, quia determinatio illa non antecedit tempore effectum gratiæ efficacis, seu actum secundum et ultimum voluntatis, ut etiam declaravi. Dicitur ergo prædeterminatio propter antecessionem naturæ et causalitatis, quod quidem facillime intelligitur in tali determinatione, si dari in actu primo supponatur, nam actus primus præcedit secundum saltem ordine naturæ; ergo si voluntas per auxilium efficax determinatur in actu primo, perfecto prædeterminatur; tum quia prius natura constituitur in actu primo quam agat; tum etiam quia recipit illam prædeterminationem ut præviam ad suum consensum, sicut etiam recipit motionem auxilii, et ideo per illud præ-